


21

FACVLTATIS IVRIDICAE
D E C A N V S,
HIERON. FRIDERICVS
SCHORCH, JCTVS,

SACRI PALATII CAESAREI COMES,
MEMORATAE FACVLTATIS ASSESSOR, ET
IVRIS PVBLICI PROFESSOR ORDIN.
NEC NON CIVITATIS
CONSVL,


L. B. S.

ERFORDIAE
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



FACHLEHRER
D. B. O. W. S.
HERRON
BETHUN
S
S





Controuersias, quae de possessione vertuntur, ante illas, quae de proprietate sunt, proponendas, ac definiendas esse, *ordinarii & non incerti iuris* esse dicitur in *l. 13. C. de Rei Vindic.* ac *l. 3. C. de Interdict.* Quemadmodum enim secundum ius Romanum plures actiones simul atque in vno libello in iudicium deduci, siue cumulari non possunt, & in specie iudicia possessoria ac petitoria simul exerceri nequeunt, v. BOEHMER. *Ius Ecclesiast.* L. 2. Tit. 12. §. 1-4. quicquid post alios dissentiat CUIACIVS L. 25. *Obseru.* 34. iun&L. 2. *Obseru.* 35. & L. 7. *Obseru.* 39. cuius argumentis plene satisfecit GIPHANIUS in *c. l. 3. C. de Interdict.* p. 271. & 272. nec non VINNIUS L. 2. *Select. Iuris quaest.* c. 39. ita si lis de re quadam oritur, ante omnia disceptandum est, vter ex litigatoribus possidere & vter petere debeat. Namque, vt ait Imp. IVSTINIANVS in §. 4. *J. de Interdict.* nisi ante exploratum fuerit, vtrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui, quia & ciuilibus & naturalis ratio facit, vt alius possideat, alius à possidente petat. add. *l. 62. D. de Iudic.* Is quippe, qui victus est de possessione, petitoris partibus fungitur, & tunc de dominio quaeritur, *l. 35. D. de acquir. vel amitt. poss. ff.* ex qua causa etiam actio de proprietate *secunda* vocatur in *l. f. C. quorum bonor.* Quamuis autem iure Canonico, quod vsu fori hactenus receptum est, cumulatio possessoria atque petitoria certa ratione admittatur, v. BOEHMER. *c. l. §. 5. sqq.* propterea tamen regula ista iuris Romani haudquaquam euauit.

Neque enim tantum iudex, in casu factae cumulationis, praetermissio petitorio, de solo possessorio prius pronunciare, & proprietatis causam ulteriori discussione referuare potest, *c. 2. X. de caus. poss. & propriet. c. 24. X. de Elect. BERGER. Elect. Proc. Possessor. § 42.* verum etiam interdum debet, veluti si actor possessionem suam satis quidem probauit, de titulo vero, ex incuria forte Aduocati, sufficienter non docuit, nec reus ex sua parte dominium demonstrauit, qualem speciem refert H. PISTOR. *P. 1. quaest. 45. n. 13. sqq.* ubi sane iniquum & à ratione iuris alienum foret, si iudex, posthabita plane actoris possessione, eo solum, quod is probationem in petitorio non rite perfecit, reum illico secundum *l. 4. C. de edend.* absoluere, & sic actorem commodo possessionis defraudare vellet. Merito igitur in hoc casu in possessorio prius ferenda sententia, actorque in possessione sua tantisper tuendus est, vsque dum reus, instituto petitorio, dominium rei controuersae ad se spectare, euicerit. add. *CARPZOV. L. 1. Resp. 71. n. 22. sqq.* Quod si vero, intentato simul possessorio & petitorio, actor possessionem, reus vero dominium comprobauit, vtrumque iudicium vna sententia terminari debet, sed ita, vt in pronuntiatione possessio praemittatur, in executione autem proprietas praeualeat, iuxta *c. 6. X. de caus. poss. & propriet.* Tunc ergo actor in possessorio quidem, de quo iudex primum statuit, vincit, quoad petitorium autem lis contra eum deciditur, prout ex *c. 3. X. eod.* dilucide apparet. Neque haec sententiae forma a ratione omnino abhorret, vt *VINICIO c. 1.* aliisque visum est, ratis, superuacaneum esse, vt iudex iubeat reum possessionem restituere actori, qui

qui pro possessore declaratur, & simul eodem momento, eademque sententia iubeat eum ipsum actorem restituere possessionem reo, qui dominus & superior in iure proprietatis esse iudicatur. add. ZIEGLER. *Praelect. in Decretal. ad cit. c. 3. § 6. p. 157. § 164.* eiusmodi enim pronunciationem effectu suo non prorsus destitui, optime aduertit BOEHMERVS *c. l. §. 11. circa fin.* Multo magis autem commemoratae regulae adhuc hodie insistendum, si actor à cumulatione absteineat, & solum possessorium intentet, addita protestatione, quod ea, quae ad petitorium pertinere videntur, pro colorando possessorio solum allegare, de caetero vero in petitorium se intromittere nullo modo velit. Tum enim iudici fas non est, super petitorio contra intentionem actoris pronunciare, adeo, vt actori, si iudex nihilominus in petitorio sententiam ferre praesumferit, propter inuersum ordinem ab ea appellare liceat. v. CARPZOV. *L. 1. Resp. 73.* LYNCKER. *c. 2. decis. 175.* BERGER. *Elect. Proc. Possess. §. 42. circa f.* HERT. *de Ordine causar. in iudicio tractand. §. 18.* Verum sicuti nulla regula est sine exceptione: ita etiam dantur casus, vbi iudex, praetermissio possessorio, statim super petitorio pronunciare valet, veluti si actor ipse, cuius arbitrio hoc relictum esse censetur, neglecto possessorio, solo petitorio experiatur, quoniam tunc ratio supra adducta sine dubio cessat. conf. VVLTEL. *de Iudic. L. 1. c. 2. n. 39.* CARPZOV. *L. 1. Resp. 72.* BERGER. *c. §. 42.* deinde, si actor quidem solam possessionis causam in iudicium deduxit, ex Actis vero de meritis petitorii liquido & euidenter constat. v. HERT. *c. l. §. 19.* MEVIVS *p. 6. decis. 100.* Sed vtilissimam hanc materiam in Lectio-

ne, quam vocant, Curforia occasione *l. 35. D. de acq. vel amit. possess.* copiosius enucleabit

NOBILIS ET CLARISSIMVS IVRIVM CANDIDATVS;

D O M I N V S

IOH. GEORGIVS LOTICHIVS,

de cuius vita, studiorumque ratione, quae ex eius relatione nobis innotuerunt, paucis exponenda sunt. Est ille diuina gratia in lucem editus Waldenburghi, quod in terris Schoenburgicis situm, patre IO. LOTICHIO, Chirurgo & membro Senatus illius loci, nimis mature pie defuncto, qui patrem olim Mag. STEPHANVM LOTICHIVM habuit, matre vero SOPHIA, à patre GOTTLIEB VIEHWEGIO Senatore Waldenburg. progenita, quae etiam iam dudum vitam hanc cum aeterna beate permutauit. Parentibus ergo praematura morte extinctis, Fratribus IOANNI CHRISTOPHORO LOTICHIO, Archidiacono Waldenburg. & D. IOANNI EHRENFREDO LOTICHIO, Caussarum Patrono Dresdensi felicissimo, (quos multum veneratur & vt diu sint superstites optat) nil prius & antiquius fuit, quam vt literis, quae ad humanitatem & pietatem spectant, imbueretur. Inprimis vero multum debet Fratri nominato D. IOANNI EHRENFREDO LOTICHIO, cuius ductu in Lyceo Cruciano, quod Dresdae floret, lectiones Virorum Doctissimorum Domini Reſtoris CHRISTIANI SCHOETGENII & Domini Con-Reſtoris GELLII frequentauit. Transacto ibidem quinque annorum spatio Lipsiam abiit, vbi in numerum ciuium Academicorum die 16. April. MDCCXXXIII. relatus, Dominum

minum D. HOFFMANNVM philosophiam prae-
legentem audiuit, simulque animum ad iurispruden-
tiam pariter ac ad ius publicum applicuit. Et quod iu-
risprudentiam quoad Theoriam & praxin attinet, prae-
lectionibus publicis & priuatis virorum longe celeberrimorum, Domini D. GAERTNERI, Domini D.
IO. FLORENTIS RIVINI & Dn. D. WINCK-
LERI interfuit; quod vero Ius Publicum spectat.
Virum Excellentissimum atque doctissimum Dominum
D. MASCOVIYM auscultauit. Quatuor annis in eius-
modi exercitationibus peractis, disputationem de ex-
cusationibus nec non reliquis Lib. XXVIII. Pand. Tit.
sub praesidio iam laudati Viri Doctissimi Dom. D.
IOANNIS FLORENTIS RIVINI publice de-
fendit. Deinde intentione Aduocati munus gerendi spe-
cimen apud ordinem Ictorum Lipsiensium elaborauit,
examenque die 18. Mart. Ao. MDCCXXXIX. subiit,
quorum testimonio *omnino dignus* iudicatus, qui ad oran-
das in foro causas admitteretur. Quo facto à Viro
longe Praeclarissimo Dn. D. IOANNE AVGVSTO
HOELTZL Comite Palatino pie defuncto Nota-
rius creatus, inque matriculam Notariorum receptus;
Paulo post autem coram supremo Senatu Aulico Dres-
densi, specimine vltiori ex Actis publicis elaborato,
praeuio iuramento solito d. 21. Mart. MDCCXLII.
praestito, etiam in Aduocatorum Matriculam clemen-
tissime relatus fuit. Ex quo negotiis forensibus inter-
fuit & simul functus Procuratoris munere in suprema
Curia provinciali, quae Lipsiae est, qua in ciuitate 1743.
in vxorem, MARIAM CATHARINAM, cuius
Pater Dominus HENRICVS LEOPOLDVS SE-
ZIVS,

ZIVS, Ictus & Praetic. Brunsvicensis celebris, decem
ab hinc annis pie defunctus, mater vero ELISABETHA
MARGARETHA, quam adhuc in viuis existentem
ea qua par est pietate venerari, maximo illi est gaudio,
duxit. Nunc vero auctoritate & suafu amicorum atque
Fautorum ad summos in vtroque iure honores adspirans
Ordinem nostrum adiit, & vt ipsi ad vltiora aditus
panderetur, modeste petiit. Cui laudabili desiderio Fa-
cultas gratificatura binos ex vtroque iure textus eno-
dandos eidem transmissit, diemque Examine, quod vo-
cant, Rigoroso praestituit, in quo ad propositas qua-
estiones ita respondit, vt omnium suffragia meruerit, di-
gnusque omnino habitus fuerit, cui petiti Honores
more Maiorum rite deferrentur. Crastina igitur die
XXV. Ianuar. consuetam Lectionem *ad l. 35. D. de ac-
quir. vel amitt. possess.* eaque absoluta Dissertationem In-
auguralem

DE
INHIBITIONIBVS ET PRO-
CESSV INHIBITIVO

sine Praefide habebit. Quibus actibus solennibus vt
Rector Academiae Magnificus, nec non Vniuersitatis
Proceres ac Ciues interesse non dedignentur, decenter
atque officiose rogantur, linuantur. Publ. sub Sigillo
Facult. Iurid. d. XXIV. Ian. A. O. R. MDCCXLV.

(L. S.)

+

94 A 7372


ULB Halle

001 681 94X

3







21

FACULTATIS IURIDICAE
DECANVS,
HIERON. FRIDERICVS
SCHORCH, JCTVS,

SACRI PALATII CAESAREI COMES,
MEMORATAE FACULTATIS ASSESSOR, ET
IVRIS PVBLICI PROFESSOR ORDIN.
NEC NON CIVITATIS
CONSVL,

L. B. S.

ERFORDIAE
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

